



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab
innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Examinis, & Examinatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)

erit non ex iure, sed ex benignitate potius procedere quemadmodum in fauorabilibus intellexit Alciat. in d. l. cum bis sextus.

- 7 Alius est casus, & vltimus cum de mense vtili agitur hoc est sublati ferijs quo in casu docuit Dec. in d. l. vbi lex, & ibi Cagnol. n. 1. post Alexand. conf. 114. num. 12. lib. 5. mensem esse dierum triginta qui quidem Alex. adducit Bald. Auctor. in dict. l. eos. §. fin. autem. C. de appellat.

PRAXIS EXAMINIS,

& Examinatorum.

RESOLVT. LXVIII.

- 1 *Opinio Innocentij circa scientiam promouendi ad beneficium simplex.*
- 2 *Officium examinatoris est bene cuncta rimari.*
- 3 *Aequitas praefertur rigori.*
- 4 *Proximo est opitulandum absque detrimento. Ad officium non est assumendus, qui illud exercere laudabiliter non potest.*
- 5 *Ordinatus sacris ordinibus praesumitur habilis ad beneficia simplicia.*

Approbatus ad ordines maiores, an sit examinandus, si fuit eidem de nouo collatum beneficium.

- 1 Innocentius in c. cum in cunctis num. 1. Hostiens. num. 15. ad finem. Ioannes Andreas num. 12. Butr. num. 11. Abb. d. num. 4. Bonifacius, Vitalinus, in clem. num. 46. de aetate, & qualitate tenent remittendum esse arbitrio Iudicis, quae scientia requiritur in beneficijs simplicibus.

Qui quidem Iudex dicitur superior, vel a superiore destinatus, qui solet vocari examinatus, cuius officium est cuncta bene rimari; habere oculos ad regiones, ad personarum qualitates, & similia, quae possunt alterare, minuere iudicium, & arbitrium Iudicis, & boni viri, & in dubio semper ad mitiorem partem inclinare, aequitas enim praefertur rigori, maxime quando ex aequitate euatur reprobatio, quae solet inducere turpitudinem, sapit inquam odiositatem reprobatio, & ideo restringi debet charitatiuo tamen modo ad possibile, vt melius potest, absque tamen animae periculo, quia non est honestum, nec licet ap. probare vnum, qui non meretur, & est indignus approbatione, debemus enim proximo opitulari sine damno animae nostrae, & ad euitandum vnum malum non debemus aliud forsitan peius committere, nemo inquam est assumendus ad officium, & munus quod laudabiliter, & recte iuxta humanas vires gerere non potest alias eligens peccaret, iuxta illud, mala electio est in culpa, nisi tamen cessaret dolus ex parte approbantis, puta, quia ipse iudicaret ipsum habilem, quia tunc cum deficiat dolus, definit quoque & culpa, nec potest considerari crimen, & consequenter cessat quoque poena, quae solet sequi suos auctores dolosos.

Quibus sic praemissis, & suppositis deneniendo ad resolutionem articuli, qui fuit quandoque in varijs factis & contingentijs propositus, & praecipue dum casus accidisset in Ciuitate Nolae affirmit, quod ipso, quod aliquis est admissus, & ordinatus sacris Ordinibus, praesumitur habilis, & idoneus ad beneficia simplicia, ita vt nouo examine opus non sit cap. accipimus 13. de aetate, & qualitate ibi; Quos a te vel praedecessoribus tuis ordinatus fuisse constaret; eo praesertim, quod ad obtinendum beneficium debes idoneos reputare, quos ad ordines suscepisti, & notat ibi Hostiens. num. 12. Io. Andr. num. 13. Butr. num. 8. 12. Abb. n. 3.

& 6. idem Abb. in cap. fin. num. 5. de praesumptionibus, & Felynus ibi num. 1. in fine, Lambertinus de Iurepatr. lib. 2. par. 1. quaest. 10. art. 2. num. 5. Rebuff. in praxi tit. de rescript. in forma communi pauperum num. 11. Boerius decis. 149. num. 16. Verallus decis. 367. par. 2. per totam Rota decis. 16. num. 1. par. 2. diuersorum; Neque Concilium Trident. sess. 14. cap. 3. de reformat. aliquid disposuit, vt censuit Sacra Congregatio super illius Canonis declaratione, dum dixit (Episcopus non potest examinare promotos a suo antecessore, nisi post promotionem aliqua noua causa superuenerit, vt in cap. accepimus de aetate, & qualitate) & iterum Congregatio censuit non comprehendere examinatos, & promotos ad sacros Ordines a praedecessoribus Episcopi, nisi noua causa post promotionem superuenerit.

RESOLVT. LXIX.

- 1 *Idoneus quisque praesumitur ad beneficium, licet idoneitas sit probanda num. 3.*
- 2 *Notorie literatus non examinatur.*

An notorie literatus, seu idoneus examinari debeat in allocutione beneficij.

1 Regulariter in dubio vnusquisque praesumitur idoneus ad beneficium obtinendum, cap. finali de praesumptionibus, vbi post omnes late Felynus a n. 1. vers. in textu ibi praesumatur idoneus cum numeris sequentibus, Lambertin. de Iurepatr. lib. 2. par. 1. quaest. 10. art. 2. a num. 1. & per totum, Alciat. de praesumptionibus regula 3. praesumptione 3. Mascard. de probationibus conclus. 878. idoneus quis praesumatur in dubio per totam illam quaestionem, Parisius de resignatione lib. 10. quaest. 3. a num. 54. vsque ad finem, Menochius de praesumptionibus lib. 6. praesumptione 291. per totum, vbi multipliciter distinguunt, & declarant: Verum sunt qui tenent notorium literatum, non esse examinandum per text. in cap. qui Episcopus iuncta gl. 2. 23. dist. cap. nullus 24. dist. & ibi gloss. vnica, Felinus post alios in cap. finali num. 28. pluramulans de praesumptionibus, Dec. per text. ibi in cap. constitutus 46. num. 3. notab. 4. de appellat. ibi, Lambertin. de Iurepatr. lib. 2. par. 1. quaest. final. art. 3. num. 1. Lopez in leg. 15. tit. 16. particula prima in gloss. 1. late per Mandosium in regula 24. de male promotis quaest. 3. num. 4. verum in contrarium in casu mihi propositio censui; nam licet vnusquisque praesumatur habilis ad obtinenda beneficia Ecclesiastica, tamen praesens idoneitas est probanda, siue sit extrinseca, siue intrinseca, nam ex quo aliquis petit sibi conferri beneficium, tenetur se esse idoneum ostendere, ita vt non sufficiat in hoc casu praesumptio naturae, vt per Gomez. post alios in tractatu de expectatiuis num. 79. verbi. nec sufficit in hoc casu praesumptio naturae, & num. 80. ideoque in Curia vulgarissima praxis est, vt prouisus per obitum, vel alio quouis modo, postquam supplicatio est signata in forma gratiosa, antequam mittatur ad regitrum, & sit locus litterarum expeditioni, examinantur summarie testes super idoneitate, scilicet vita, & moribus, natalibus, & aetate, & deinde subsequente approbatione quod ad scientiam relaxatur supplicatio, & registratur, & fit expeditio litterarum: Si vero prouisio fit in forma dignum, hoc est quod Papa non confert beneficium, sed committit Ordinario facultatem conferendi expeditis litteris in forma dignum, & presentatis coram Iudice Commissario illarum executorum, similiter coram illo recipitur informatio de vita, & moribus, & alijs supradictis, & testes desuper examinantur, & sic narratiua litterarum verificatur, ac deniq.

deniq; beneficium illi confertur, præsertim si agatur de præiudicio tertij, veluti de excludendo aliquo intruso in beneficium, vt tradit Abb. in c. cum in iure sub nu. 2. verfic. item cum agitur de offic. delegati, Fely. in dict. cap. fin. de præsumptionibus nu. 12. verfic. fallit primo Mascard. de probat. d. conclus. 878. nu. 5. quando autem quis possidet beneficium, & vti reus cõuenitur, ac molestatur, non solum non tenetur probare idoneitatem suam intrinsecam, nec extrinsecam, sed neque narratiuam suæ gratiæ Apostolicæ verificare tenetur, nam commodum possessionis hunc effectum producit, vt per text. in §. commodum instituit. de interd. tradunt Mohedan. decis. 7. de præsumptionibus, & decis. 20. & 24. de præbendis, Puteus decis. 24. nu. 14. & decis. 330. lib. 1. & decis. 198. ante num. 1. & decis. 443. nu. 1. & 2. lib. 2. Achilles de Grassis decis. 2. & decis. 17. de probationibus vide in proposito plenissime per Mascardum de probationibus conclus. 1200. per totam.

RESOLVT. LXX.

- 1 Doctoratus, seu approbatus vltius approbari, & examinari non debet, & de ratione num. 2. & 3.
- 4 Vniuersitates iniuria afficerentur, si ab eis examinati, non examini subicerentur.
- 5 Approbatus ad beneficium simplex curatum, vel cum dignitate non est iterum examinandus pro alio simili.
- 6 Doctoratus à Comite Palatino, an præferatur alteri in publico gymnasio creato, & quid de doctorato in iure canonico tantum, & in vtroque nu. 7. & quid de Theologo, vel magis literato.
- 9 Licentiatu vti fidei doctoratus non præfertur verè graduato.

Graduati, seu doctorati in aliqua scientia, an debeant examinari si præsententur ad aliquod Impatronatus.

Videtur negatiuè resolendum ex doctrina Bartoli in l. 2. ff. de accusat. tutor. vbi semel approbatus, amplius examinari non debet, allegat text. in cap. certum de regulis iuris in 6. vbi id, quod est certum, vltius certiorari non debet, & denunciatio alia denunciatio fieri non debet, l. qui ergo §. denunciasset, ff. ad l. Iuliam de adulterijs, nec præfens in iudicio est citandus, cum per eius præsentiam præsumatur habuisse notitiam eius, quod agitur Iaffred. dec. 370.

Et in graduatis, quod excusentur ab examine, ex quo iam sunt examinati, & approbati ab Vniuersitatibus ne fiat iniuria ipsis Vniuersitatibus, tradit Rebuff. in praxi titulo de rescripto in forma pauperum pro graduatis nu. 3. & 4. & de priuilegijs Scholarium priuilegio 86. per totum.

Præterea in Curia seruari videmus, quod semel examinatus, & approbatus ad vnum beneficium simplex, non amplius examinatur ad aliud simile; idem est si semel sit approbatus ad Canonicatum, vel dignitatem in Collegiata, nam non amplius examinatur ad similem Canonicatum, vel dignitatem in alia Collegiata; similiter semel approbatus ad Curatum, vel Canonicatum, vel dignitatem in Cathedrali, non vltra examinatur ad simile, vel similem.

Intellige hanc conclusionem procedere vbiunque graduati sint idonei, & sciant se exercere in officio, & dignitate, in qua graduantur, cum iura loquentia de personis loquantur de idoneis ad text. in l. graduatum in princ. ff. de muneribus, & honor. glof. in l. 1. c. de Sacrosanct. Eccles. & ita in terminis aduertit Alphons. Sot. in regula Cancellariæ nu. 6. vbi propterea infert, quod si Doctor concurrat creatus à Comite Palatino

Aloj. Ricc. Prax. Pars IV.

no, non debet præferri Doctori, vel Scholari in publico Gymnasio, & Vniuersitate creato, iuxta ea, quæ probauit Noarius forens. quæst. 147. lib. 1. Prout etiã si concurrant doctoratus in iure Canonico tantum, & doctoratus in vtroque iure, vel iure Canonico, & in Theologia, præferri debet iste tanquam magis graduatus; sic etiam si concurrat magis literatus; & licet licet ius in favorabilibus habeatur pro Doctore, Felin. in c. Clericis de iudic. Gabriel. concl. 1. de maior. & obed. Tamen non per hoc erit præferendus Doctor, qui rei veritate est graduatus, & non fictè, prout licentiatu ex plenè congestis per nos in praxi resol. 667. par. 2. à nu. 3. cum seqq. Vnde magis literatum præferendum esse determinauit Rota apud Farin. decis. 677. in nouissimis, & maiori habilitate præditum, veluti prudentia integritate, & maioritate; dicit eadem Rota apud eundem decis. 678.

RESOLVT. LXXI.

- 1 Sacerdos etiam regularis, vt regularium confessiones audire valeat, quæ requirantur.
- 2 Approbatio Episcopi an requiratur, quod in scriptis interueniat.
- 3 Regulares semel approbati ad audiendam confessionem possunt iterum examinari à successore Episcopo, & refertur decisio, num. 4.
- 5 Prelatus successor semel approbatus, non idoneos repreniendo reicere potest, existente tamen causa, illaque cognita, & refertur decisio Congregationis nu. 6.
- 7 Approbatus ab vno Episcopo non censetur approbatus in diocesi aliorum.

Regulares semel ab Episcopis examinati ad audiendas confessiones, an & quando iterum examinari possint.

Regulariter nullus Sacerdos, etiam regularis, potest Confessiones secularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneus reputatur, nisi aut parochiale beneficium habeat, vel ab Episcopis per examen idoneus iudicetur, ita Sac. Concil. Trident. sess. 23. c. 15. adeo, quod vt Sacerdos validè administret poenitentia Sacramentum laicis, aut Clericis, debet esse per examen, aut alia ratione approbatus ab Episcopo habente subditos, quam approbationem necesse est fieri ab Episcopo illius loci, in quo exercetur Sacramentum poenitentia, vt constat ex Nauar. in manuali c. 27. n. 766. Vgolin. de potest. Episc. c. 7. §. 2. nu. 8. Gutierrez. canon. quæst. lib. 1. c. 27. n. 6. Gambacurta de casibus referu. c. 2. n. 30. quæ approbatio nõ est necesse, vt fiat in scriptis, sed sufficit, quod voce habeatur, nam scriptura non est de necessitate gratiæ, & ita tutantur Reginald. in praxi fori poenitential. lib. 1. num. 198. & Grassi. decis. aur. c. 13. nu. 5. par. 1. lib. 1. quibus prædictis suppositis; Respondi in casu occurrenti regulares semel ab Episcopo examinatos ad audiendam Christi fidelium confessionem, non posse iterum examinari ex Bulla Pij V. incip. Romani Pontificis edita de anno 1571. innouando Bullam Leon. X. incip. dum intra mensis arcana, vbi tamen mandauit eos, qui semel ab Episcopis in Ciuitatibus, & diocesis suis præuio examine approbati fuerint, ab iisdem iterum examinari non posse, licet à successoribus pro maiori conscientia quiete examinari de nouo possint; & adeo vera est supradicta Bullæ dispositio, vt illam non fuisse reuocant per reductionem priuilegiorum regularium ad terminos Concilij Trident. factam, reperio declarasse Sacram Congregationem, vt infra, Congregatio Concilij censuit regulares ad audiendas in Ciuitate, & diocesi secularium confessiones semel ab Episcopo præuio examine approbatos

Ec ab eo

ab eodem Episcopo non esse examinandos: Caterum à successore posse vtiq; examinari iuxta constitut. Pij V. datam 8. idus Augusti Pontificatus sui anno sexto, quæ à fel. record. Gregorij XIII. non est reuocata per reductionem privilegiorum regularium ad terminos Concilij Trid. limita supradictam principalem conclusionem posse successorem in Episcopatu aduocare etiã generatim singulos ad examen approbatos, quamuis simpliciter, & non idoneos repertos reijcere, prout etiã affirmarunt. Mirand. in suo manual. prælat. quæst. 45. art. 7. concl. vnica to. 1. Nouarius concl. 2. nu. 3. de confessione, vbi intelligit id existente causa, illaque cognita, & probata, nominatimque facta, ita vt neque generalis sufficiens sit reuocatio, pro qua opinione adducit declarationem Sacre Congregationis, cuius tenor est; Cum Sacre Congregationi Cardinalium negotijs Episcoporum, & regularium propositorum innotuerit confessarios regulares grauius conqueri, quod ab Archiepiscopis, Episcopis, locorumque ordinariis ab audiendis confessionibus quauis de causa discriminatim suspendantur, preterea sepe contingere, vt ab eisdem Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis confessiones audiendi facultas adimatur: Illustissimi eiusdem Sacre Congregationis Patres rati vix fieri posse, vt hæc sine scandalo, magnæque animarum pernicietate contingant, re mature perpensa, ad omnem scandali materiam submouendam, & quo magis spirituali piarum mentium consolationi consulatur, statuunt, ac decernunt Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Ordinariis locorum, ad quos confessarios approbandi ius spectat, confessarios regulares aliis ab ipsis libere approbatos, ab audiendis confessionibus suspendere post hac minime licere, nisi ex noua causa, eaq; ad confessiones ipsas pertinentes, aut ob non seruatum interdictum ab ipsis Ordinariis positum: statuunt insuper eosdem Archiepiscopos, Episcopos, locorumque Ordinarios confessiones audiendi facultatem omnibus simul vnus conuentus regularibus confessariis eadem Sacra Congregatio in consulti nullo pacto adimere posse, quod quidem decretum, vt iidem Illustissimi Patres opportunum, & necessarium duxerunt, ita inuolabiliter iubent obseruari. Romæ 20. Nouembris 1615. A. Mar. Epif. Hostiens. Card. Gallus V. Theatin. Secret.

Limita 2. Religiosos approbatos ab vno Episcopo, non propterea censi approbatos in diocesi aliorum Episcoporum, Megal. par. 1. institut. confess. lib. 1. cap. 15. sub nu. 2. Molfes. in summa tract. 7. de penit. ca. 14. num. 67. tom. 1. quos adducit Nouarius cit. conclus. 2. num. 2. verbo qui ad probandum vtantur sequenti Sacre Congregationis declaratione. Congregatio Concilij respondit approbatum ab alio, quam à Valentino Episcopo in diocesi Valentina, non censi approbatum ab ordinario, ita quod regulares semel ab aliquo Antistite approbatos, extra eius diocesim non posse audire peccata concludit cum Syluest. in summa in verbo confessus l. 1. §. 14. Nauar. in manual. cap. 27. nu. 266. vers. 6. Vinald. in Candelab. aur. par. 2. tit. de absolut. nu. 50. Benenent. de penitent. cap. 16. q. 3. dub. 2. Miranda in manual. prælat. quæst. 45. art. 8. conclus. vnica.

RESOLVT. LXXII.

- 1 Approbatus semel, est examinandus, si examen fuerit assignatum pro forma.
- 2 Examen requiritur in concursu Parochialium etiam in Vicario Archidiacono, vel qualibet persona eminenti num. 3.
- 4 Examen requiritur in petente reintegratione beneficii.
- 5 Felinus memoratur in materia examinis.
- 6 Forma omitti non potest.

An quando examen requiritur pro forma, semel examinatus, vel notorie literatus, debeat iterum examinari.

- 1 Semel approbatus examinari debet, quando examen est pro forma assignatum, nam tunc nullatenus omitti potest alias actus corruerent, quamuis promotus sit persona nota pro valde literata, benemerita, & famosa, Lambert. de iure patron. lib. 2. parte 1. quæst. 11. artic. 3. numer. 1. post princip. & numer. 2. Dec. consil. 90. num. 6. & consil. 262. num. 4. Patil. consil. 12. numer. 47. Tusc. de visit. lib. 2. cap. 5. num. 10. Mandos. super reg. can. 24. quæst. 3. numer. 8. Rebuff. de privileg. scholar. priuileg. 86. versic. ego verò contrarium seruari; vbi dicit, quod in vniuersitatibus, in quibus requiritur pro forma examen ad obtinendum gradum, quod omitti non potest, quamuis examinatus sit notorie doctus; quo fit, vt in terminis Concilij Trid. sect. 24. de reform. c. 18. de prouisione Parochialium, cum ibi requiratur pro forma examen per concursum necessario fieri, vt sæpe censuit Sac. Congreg. Concil. dicens, Doctores, siue licentiatos in Theologia, siue iure Canon. & in publica Vniuersitate graduatos, non excusatur ab examine quādo petijt prouideri de aliqua Ecclesia parochiali. Prout etiam, nec excusatur Vicarius Episcopalis, nec Archidiaconus, vel penitentiarius, nec aliqua persona eminentis quantumcumque, idonea, & in dignitate ecclesiastica constituta, vt etiã declarauit eadem sacra interpetrum Congregatio iuxta adducta per Paris. de resignat. lib. 8. quæst. 9. nu. 83. vsque ad 62. cum seqq. Et ita pariter fuit resolutum, sæpe in Rota, & signanter in vna Calaguritana beneficii de Ornillos 12. Octobris 1587. coram Pamphilio, quod capitis beneficiari de beneficio simplici paritroniali, debet examinari pro obtinenda reintegratione eiusdem beneficii, ex quo examen requiritur pro forma; præsertim stante constitutione, & proprio motu Sixti V. sub data 24. Septembris anni 1586. super modo conferendi beneficia illius diocesis Calaguritana; licet hodie per nouam constitutionem Sanctissimi D. N. Clementis VIII. emanatam sub die 28. Aprilis 1596. pro reintegratione non requiratur ita exactus, & rigorosum examen per cōcursum, sed sufficit simplex examē & approbatio ordinarij: Hinc est, quod licet quando Felinus fuit nominatus ad Auditoratum Sacre Rotæ, ægrè ferret quod deberet examinari, ex quo erat fama super altera notus, & qui iura canonica tāto tempore legerat; tamen cum primum sciuisset examen requiri pro forma, illi libenter se subiecit, vt per Mandos. in d. regula 24. q. 1. §. 3. nu. 12. forma enim omitti non potest, quia alias actus efficitur vitiosus, & corruit ex latè adductis per Nouarium li. 1. quæst. forens. cap. 71.

RESOLVT. LXXIII.

- 1 Examen pro forma requiritur in eo, qui per longum tempus intermisit studia, & de ratione.
- 2 Quæ de nouo emergunt nouo indigent auxilio.
- 3 Sacerdos indignè promotus ad ordines sacros potest repelli à Parochiali cura.
- 4 Sacerdos & si approbatus ad curam animarum à predecessore Episcopo, potest à successore examinari.
- 5 Et quid eo non reperto idoneo.
- 6 In beneficio simplici qualificato, cum dignitate, &c. requiritur examen.
- 7 Idoneus ad sacros ordines quando censeatur absque examine idoneus ad beneficium simplex.

Qui casus reperiantur, in quibus absque examine non admittendus est quis ad beneficium Ecclesiasticum.

- I**N nonnullis casibus admittitur quis ad beneficium Ecclesiasticum absque examine; primum quando superuenit aliqua noua causa, vt puta, quia per longū interuallum fecit intermissione, seu diuersionem à studijs, & de hoc constaret, vel aliud simile accideret; quia tunc etiam si pro forma non requireretur examen, deberet examinari ratione nouæ causæ, vt insinuant desuper relatæ regulæ, nam ea, quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio. l. de ætate §. ex causa ff. de interrogator. actionibus, cap. cæterum, & ibi glos. penultima de iuramento calumniæ. Caputaq. decis. 123. num. 6. part. 3. latè Romanus in l. si verò §. de viro n. 83. vbi cumulat 22. casus deniantes à communibus regulis ratione nouitatis superuenientis, ff. soluto matrimonio.

Secundus est, quando constaret, quòd talis promotus ad ordines sacros fuit indignè promotus ad eos, Oltrad. conf. 118. circa n. 1. vbi consuluit, quòd si Episcopus ordinauit aliquem ad sacerdotium, & admisit eum successiue ad duas parochiales curatas, potest eū repellere quoad tertiam parochialem; si per diligentē inuestigationem reperierit esse indignum, etiam si dicta parochialis tertia nō sit maioris curæ, sed æqualis, & minoris; sequuntur Ioan. Andr. Anchar. Butr. & alij relati per Felin. in cap. ex litteris nu. 7. de consil.

Tertius adducitur casus, quando ageretur de administratione Sacramentorum, vel cura animarum exercenda, nam tunc presbiter curam animarum exercens, vel Sacramenta ministrans, seu exercere, vel ministrare intendens, potest examinari ab Episcopo successore, licet ab antecessore fuerit approbatus, & si minus idoneus repertus fuerit, excludendus est, licet rector non sit, & perpetuum titulum non habeat, & si titulum habuerit, potest suspendi, & coadiutor benemeritis illius expensis apponi, vt disponit Sac. Conc. Trid. sess. 21. c. 3. de reform. & sess. 14. de reform. c. 3.

Quartus affertur, & vltimus casus, quando beneficium simplex esset qualificatum, veluti dignitas sine cura, vel Canonici in Cathedrali, vel collegiata, in quibus requiritur industria, & consilium, nam in hoc casu temperatur dispositio text. in ca. accepimus de ætat. & qual. Lambert. de iur. patron. li. 2. p. 1. quæst. 10. artic. 2. versic. tertio adduco. Menoch. præsumpt. 91. numer. 21. de præsumpt. lib. 6. ex quo euenit, vt id, quod inquit Nauarr. in cons. 2. de præben. quòd idoneus reputatus ad sacros ordines, non ideo reputatur idoneus ad beneficium simplex, sed tenetur se iterum examini subijcere, quòd est intelligendum quando versaremur in aliquo ex supradictis casibus, nam aliter minus tutus detegeretur.

RESOLVT. LXXIV.

- 1 Dispositio Bullæ Sixti V. quod in beneficijs nullus admittatur absque examine.
- 2 Quid in capto beneficiari.

An per Sacrum Concilium Tridentinum sit sublatum illud, quod communiter per Doctores traditur semel examinatum, non esse amplius examinandum.

IN casu mihi occurrenti respondi affirmatiue ex decis. Rotæ in vna Calaguritana iuris ascendendi 28. Iulij 1599. coram Illustrissimo Seraphino, cuius tenor est. Domini censuerunt clericos captos beneficiari, comprehendendi sub indulto sel. record. Sixti V. cum enim disponat, vt quotiescumque vocabunt beneficia, integras dimittant. Aloys. Ricc. Praxis Pars IV.

Idia, seu quarta, aut alias quomodolibet nuncupata patrimonialibus, & naturalibus filiis concedi solita, nullus admittatur, & recipiatur, nisi præmo examine: hæc verba videntur clarissima, nam si pro assentione vnius præmissorum voluit id obseruari, satis clarè etiam videtur voluisse, vt ascendentes eidem examini subijcerentur attenta consuetudine, & statutis Ecclesiarum diocesis, in quibus introductus est assensus, aliàs dispositio respectu dimidiorum, & integrum beneficiorum remaneret sine effectu, quia semper quarti, aut dimidij prætenderent talia sibi deberi; nec potest dici in singularibus Ecclesijs quibuscumque posse beneficia, esse æqualia, quia in illis non datur assensus, & vbi ad sunt quarti, & dimidij, necesse est, vt adsint integri beneficiati, nam quartum, & dimidium beneficium dicitur relatione habita ad integrum; & ita etiā Rotā considerauit hoc præiudicium inferri per Bullam Sixti in positione causæ super validitate indulti 29. Martij 1592. quod etiam confirmatur ex dispositione contenta in noua declaratione, & indultu S. D. N. dum in capitis beneficiari mediante examine excludit cōcursum in assensu. Præterea verba dictæ Bullæ videntur clariora, quàm vt possint euitari, ibi vt præsentet, & recipiant antiquiorem in ordine, si duo pluresvè reperti fuerint æquè idonei: si verò minus, qui antiquus repertus fuerit magis idoneus, præferatur; Confirmatur etiam ex dispositione Concilij iuxta declarationem Eminentissimorum Cardinalium, mādantis, vt capitis beneficiari, in quolibet assensu denuò examinetur, vt fuit resolutum in vna Calaguritana corā Pamphilio anno 1581. Neque obstat, quòd in his non applicetur ratio indulti, quæ considerat frequentiam simoniacarum prouisionum, cum in assensu certi sint, illi quibus debetur beneficium, quia ob dispositionis generalitatem, & particulare singulorum beneficiorum qualitatē expresse non sumus in casu, in quo lex disponit de ratione, non autem ratio de lege, iuxta doctrinam Baldi, quam refert, & sequitur Corn. cōsil. 90. nu. 13. lib. 3. neque obstat, quòd breue loquatur de filiis patrimonialibus, & naturalibus, quasi verò hæc dominatio non conueniat capitis beneficiari, cum nihilominus nō desinant esse filij patrimoniales, cum origo sit immutabilis, l. assumptio, ad Municipal. non obstat præterea, quòd de iure semel examinatus, non est amplius examinandus cap. accepimus de ætate, & qualitate, Relator. decis. 83. Verall. decis. 367. l. 2. quia aliter fuit dispositum nouo iure conciliari, ex eo quòd in ascensione quaritur nouus titulus, iuxta cons. Oltradi 18. non obstant statuta, & consuetudines, quia illis fuit derogatum, etiam cum clausula, quorum tenores Felin. in c. postulat li. nu. 2. de rescript.

RESOLVT. LXXV.

- 1 Scientia examinandorum Iudicis arbitrio relinquitur, sed contrarium habetur nu. 3.
- 2 Scientia eminens, & mediocris, quæ sit.
- 3 Scientia Episcoporum qualis esse debeat.
- 4 Scientia inferiorum Episcoporum iurisdictionem habentium, quæ requiritur, & quæ dignitatum non habentium iurisdictionem nu. 6.
- 5 Scientia Parochorum quanta attendatur.
- 6 Scientia requisita in obtinentibus beneficia simplicia, quæ esse debeat.
- 7 Scientia requiritur talis, vt possint explorari eas, quæ incumbunt oneri beneficii.

Examinatores beneficiandorum ecclesiasticorum quantam scientiam in eis requirere debent.

- 1 Videbatur prima facie hoc totum Iudicis arbitrio relinquendum, iuxta doctrinā Innocentij communiter

Ee 2 munitur

munitur receptam in cap. cum in cunctis num. 1. Hostiensis num. 15. ad finem, Ioannes Andreas num. 12. Butr. num. 11. Abb. d. num. 4. Vitalianus in clementina 1. num. 49. de arate, & qualitate Nauarr. in dict. c. si quando exceptione 11. numer. 6. apud quos plura in proposito lector reperire poterit; & qualiter cantor scire debet cantum, & dicunt, quod si addit spes addiscendi in futurum minor scientia sufficit, & Rota decif. 16. nu. 1. par. 2. diuersorum; ac omnes assignant differentiam, scilicet inter scientiam eminentem, mediocrem, & sufficientem; eminens scientia est illa, per quam quis scit difficillimas quaestiones explicare, & definire ex tempore, sine reuolutione librorum, quod nullatenus, aut vix in hac nostra professione contingere poterit; mediocri, qui cum deliberatione, & reuolutione librorum veritatem scit inuenire; sufficientem scientiam habet, qui sibi per se sufficit ad ea, quae sibi imminere expedienda, Innocentius dict. num. 1. Hostiensis vbi supra num. 15. Ioannes Andreas num. 12. Butr. num. 9. 10. & 11. Abb. d. num. 4. Decius num. 13. 14. 15. & 16.

Verum contrarium tenendum est, quoniam iuxta qualitatem beneficiorum, maior, vel minor scientia exigitur; nam in Archiepiscopis, & Episcopis cum sint iudices animarum, debent habere scientiam noui, & veteris testamenti, capite, qui Episcopus 23. distinct. ca. 1. & 2. dist. 62. Nec non debent polere scientia vtriusque iuris, cum ius dicere, ac iudicare debeant, vt in authentico, vt clerici apud proprios Episcopos, §. 1. collatione 6. gl. in authentico de sanctissimis Episcopis in §. si quis contra verbo Iudicem in fine collatione 9. Maurus Mantuanus in tract. de concilio nu. 100. volum. 2. l. Lupus in l. 7. gloss. 2. tit. 10. partita 4. probat etiam tex. in c. 1. & 2. 39. distinct. vbi dicitur, quod quidam in Episcopum electus, fuit a Beato Gregorio repulsi propter ignorantiam rerum civilium, & secularium, Menoch. vbi supra ex nu. 24. vsq. ad 40.

Præsertim cum non teneantur habere Vicarium, seu officialem secundum veriorum opinionem, quam tenet Rota, vt per Felyn. in c. quoniam n. 5. de officio Ordinarij Puteus decif. 43. nu. 2. & decif. sequenti lib. 1. Mohedanus decif. 4. de officio Vicarij num. 1. Rota dec. 222. n. 5. par. 2. diuersorum, Hoieda de incompatibilitate 2. par. ca. 10. n. 9. Additionator ad Simonet. de reservatione q. 85. n. 11.

Hodie autem circa scientiam Episcoporum per Concil. Trid. ca. 2. sess. 22. disponitur, quod Episcopus tali scientia polere debeat, vt munus sibi iniuncti necessitati possit satisfacere, ideoque antea in vniuersitate studiorum Magister, siue Doctor, aut licentiat in Sacra Theologia, aut iure Canonico merito sit promotus, aut publico alicuius Academiae testimonio ad alios docendum ostendatur idoneus Parisius de resignatione lib. 8. q. 5. nu. 5. & per totam, vbi late Menochius dicto casu 425. num. 35.

Ad dignitates vero inferiores in Pontificalibus iurisdictionem habentes, debent etiam habere scientiam Iuris Canonici, nam secundum illud debent iudicare, & visitare cap. 1. de consanguinitate, & affinit. Selua num. 10. Innocentius in cap. cum in cunctis sub nu. 1. de electione, & fol. 66. ibidem num. 4. & propterea a Concilio Trid. sess. 24. ca. 12. de reformat. disponitur, quod Archidiaconi sint Doctores, seu licentiat in Sacra Theologia, vel iure canonico, idemq; magis præcisè disponitur, quoad scolasterias in cap. 18. ad finem vers. de cætero vero officia sess. 23. Menoch. de arbitrijs centuria 5. casu 425. ex num. 40.

Ad alias vero dignitates non habentes iurisdictionem; Canonici cum teneantur dare iudicium, & consilium in capitulo, debent habere mediocrem scientiam Rota dec. 12. de probationibus nu. 4. in antiquis, Menoch. vbi supra a nu. 45. Præsertim cum sint de cor-

pore Episcopi, nam Episcopus est caput, & Canonici membra ca. nouit de his, quae fiunt a Prælati sine consensu capituli.

Quo ad beneficium verò curatum maior requiritur scientia, quam ad canonicatus, vel alia beneficia simplicia, ex quo cura animarum dicitur ars artium c. penult. de arate, & qualitate, nam cum Parochianos teneantur confiteri, & scire distinguere inter lepram, & lepram, peccatum, & peccatum, & Euangelium, declarare, maior in eius, quam in alijs requiritur scientia Staphileus de literis gratiae §. sexta forma num. 2. Nauarr. in manuali c. 2. n. 2. & c. 1. §. caueant. n. 19. cum seq. de poenit. & remissionibus Parisius de resignatione lib. 10. q. 2. n. 27. Concil. Trid. sess. 5. c. 2.

Ad reliqua autem beneficia simplicia sufficit dicere, vt sciatur, & possint horas Canonicas, ad quas teneantur Nauarr. de horis canonicis c. 7. nu. 3. Parisius de resignatione lib. 4. quaest. 11. nu. 3. nec non construere, & intelligere, Cardinalis in clementina 1. nu. 1. de concessione, præbendæ, Rebuffus in praxi tit. de forma vicariatus Archiepiscopi nu. 87. Gomez. de expectatiuis num. 79. Mascard. conclus. 878. numer. 17. quoad hæc enim beneficia simplicia dixit Innocent. in cap. 1. de summa Trinitate, & fide Catholica nu. 4. quod sufficit clericis pauperibus, quod tantum sciatur sicut simplex laicus, vel aliquantulum plus circa sacramenta, circa quæ quotidie versantur, sequitur Baldus ibi rubrica. n. 5. Gomez. de expectatiuis n. 82. Lopez in l. 5. verbo digno titulo, tit. 15. Partita prima ad medium Hostiens. num. 10. Ioan. Andreas num. 9. Butr. num. 7. in c. cum in cunctis de electione, Selua de beneficio 3. par. quaest. 5. num. 12.

Et tandem quilibet debet habere talem scientiam, qua possit explorare ea, quæ incumbunt muneri, & oneri beneficij, quod habet, & secundum dignitatem, statum, & officium, ad quod assumitur, vt in cap. 1. & per totam 23. distinctiōem, Innocent. in d. c. cum in cunctis nu. 1. in princip. de electione Hostiens. num. 8. & 9. Ioan. Andreas num. 9. Butr. nu. 11. Abb. num. 4. vers. quia vt dixi, Decius nu. 16. ibidem Felyn. in cap. per tuas num. 20. de simonia, Nauarrus in cap. si quando exceptione 14. nu. 1. & per totam de re scriptis, Menoch. d. casu 425. ex nu. 47. Nam absurdum est alicui ignorare artem, in qua versatur leg. secunda §. feruis ff. de origine iuris, speculat. tit. de aduocato §. 1. num. 33. leg. si verò 13. §. Index ff. de adulterijs leg. possessio tua Cod. de muneribus patrimoniorum li. 10. cum sit de conuersione coniugatorum, Sarmientus lib. 3. Selectarum ca. 12. Nauarr. in cap. 1. §. Sacerdos num. 1. de poenitent. distinct. 6. & verendum est aliorum ex manibus querere, quod apud se inueniri debet Innocent. in d. cap. cum in cunctis sub n. 1. post princ. de electione, & Ioan. Andreas num. 9. plura in proposito tradit Gomez. in regula de subrogandis quaest. 7. nu. 9. vers. nam vt dicit tex. & nu. 10.

RESOLVT. LXXVI.

- 1 Bulla Pij V. incip. in conferendis memoratur.
- 2 Forma Bullæ Pij V. requirentis concursum in collatione Parochialium, omitti non potest per Episcopum.
- 3 Examinandi ius competit solis Episcopis, non autem inferioribus.

An ius examinandi, & edicti proponendi solis Episcopis competat.

A Tenta dispositione Bullæ Pij V. incip. in conferendis, aperte constat in vacatione parochialis Ecclesiæ debere fieri concursus iuxta formam Concilij Trid. sess. 24. de reformatione, c. 18. alias collatio erit nulla, & Papæ postea reuertitur, quod adeo verum est,

2. vt huiusmodi forma ab Episcopo omitti neque etiā si vellet parochialem cōferre personē doctā, idoneā, benemeritā, ac quantumcūq; notoriā, Parisius de resignatione benefic. sect. 9. n. 83. lib. 8. Fulcus de visit. lib. 2. cap. 5. num. 10. Garzia de benefic. cap. 2. nu. 102. par. 9. adeo quod prouisus de Parochiali non seruata supradicta forma, non est tutus in foro fori, & conscientiā, vt latē dixi in praxi resolut. 351. numer. 2. part. 2.

3. His suppositis deueniendo ad casum propositum, respondeo huiusmodi ius examinandi, solum Episcopis competere, itaut alij inferiores, ad quos ipsarum Parochialium Ecclesiarum collatio pertineret excludantur, & ita pluries resolutum fuisse per Sacram Cōgregationem, & eius decisionem, & responsa ad verbum recitando, testatur Parisius lib. 8. de resignatione beneficiorum quæst. 9. num. 87. limitatur tamen illis, qui omnimodam iurisdictionem Episcopalem habent, nec alicui subderentur, sed immediatē Sedi Apostolicæ subiecti essent, ac nullius diocesis censerentur, proprium, & distinctum territorium habentes, cum facultate congregandi Synodum, quam antea etiam coegissent, & in ea Examinatores elegissent, & habetur in Archiepiscop. Bononiens. part. 4. tit. de exam. per concurs. & censuisse Sacram Cōgregationem affirmat in d. quæst. 9. Parisius nu. 98. & facit, quod scribit Nouarius in nouo iure suo Pontificio in verbo cōcursus conclus. 3. vbi vitur his verbis videlicet, amplia vt inferiores exempti habentes proprium districtum, & episcopalem iurisdictionem habeant facultatem faciendi concursus, vt affirmat Diaz de Mena var. quæst. lib. 3. quæst. 24. n. 21. & vt dixi in praxi resolut. 361. part. 1. vbi sic decisum tamen id denegari inferioribus Episcopis habentibus ius conferendi, quod pariter approbarunt Zecch. de republ. Eccl. c. 28. de Parocho nu. 6. & Germon. de indult. Cardin. §. quibusuis in fine.

RESOLVT. LXXVII.

1. Examinatores nihil percipere possunt ratione examinis, nec ante, nec post examen n. 2. & quæ sit pœna n. 3.
4. Examinatores nihil percipiunt ratione laboris, vel titulo stipendij, vel alia ratione, secus autē ab Episcopo n. 5.

Examinatores accipiendo, quid modicum ratione examinis Parochialium, an incident in pœnas Sacri Concilij Trident. sess. 24. can. 18.

1. Examinatores non possunt quicquam occasione examinis accipere, alioquin ipso facto priuantur beneficijs antea ritē obtentis, & tenentur illa dimittere, etiam ante sententiam Iudicis declaratoriam criminis, vt apertē constat ex Sacro Concilio Tridentino sess. 24. cap. 18. de reformatione, ibi caueant ne quicquam prorsus occasione huius examinis, nec ante, nec post accipiant; alioquin simoniæ vitium, tam ipsi, quam alij dantes incurrant, a qua absolui nequeant, nisi dimissis beneficijs, quæ quomodocūq; etiā antea obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles reddantur.
3. Ex quibus verbis colligitur, primo examinatores beneficiariorum priuari beneficijs antea obtentis, si occasione examinis, siue antea, siue post aliquid accipiant etiam gratis, & liberaliter datum, & ad captandam beneuolentiam, etiam si res modica sit, & leuis momenti; nam Concilium prohibet quicquam prorsus accipi, vt ait Garzia de benefic. par. 9. c. 2. nu. 390., quicquid in contrarium dicat Ledesma in summa 2. par. tractat. 7. cap. 1. conclus. 7. & Zerola in praxi Episcop. verb. parochiæ §. 2. dub. 13.

4. Nec examinatores possunt quicquam pro labore, Aloys. Ricc. Prax. Pars IV.

vel titulo stipendij ad sustentationem fructibus beneficij vacantis, vel alia ratione accipere. Ratio est, tū quia Concilium prohibet quicquam prorsus occasione examinis accipi, vbi notanda est illa loquendo forma, occasione examinis; excludit enim quemlibet titulum, ex quo alias aliquid licitē accipi potuisset; tū quia sic declarauit Sacra Cōgregatio in vna Gerunden. quam refert Garzias par. 8. c. 1. n. 77. & in altera Abulen. apud Garziam par. 5. cap. 7. num. 11. vers. ad 2. & in alia Salernit. apud eundem part. 9. cap. 2. nu. 374. contra Ledesman loco citato, Nauarr. de restitutione lib. 1. c. 2. n. 188. & alios.

5. Addit tamen idem Garzias n. 379. Episcopum posse aliquid de suo præfatis examinatoribus conferre titulo præmij, vel stipendij, seu sustentationis, quod mihi improbabile non videtur; quia Concilium loqui non videtur de Episcopo. An autem idem Episcopus, vel eius Vicarius assistendo examini possint aliquid accipere: & ex alibi dictis dico, non posse, tū quia tenetur ex officio, & aliunde habent quo se sustentent, tū quia sicut non possunt sportulas ex prouisionibus accipere, ita neque ob examen, quod est via, medium, & preparatio ad prouisionem beneficij.

PRAXIS POTESTATIS
Episcopi in condendis testamentis ad pias causas illorum, qui decedunt ab intestato.

RESOLVT. LXXVIII.

1. Testamenta ad pias causas morientium ab intestato, fieri solent per Episcopos, & de ratione nu. 2. etiam quod haberent hæredes nu. 5.
3. Constit. Regni incip. Dobana memoratur.
4. Episcopus dicitur protector omnium miserabilium personarum.

Episcopus qualiter disponat ad pias causas de bonis decedentium ab intestato pro eorum anima.

1. In mea Diocesi Vici Equensi. adest immemorabilis consuetudo, quod quando aliqui moriuntur ab intestato Episcopi, qui sunt pro tempore solent facere testamenta ad pias causas pro eorum anima.

Quæ quidem consuetudo in hoc Regno Neapolis, est quoq; in pluribus alijs Diocesis, taliter quod nisi Episcopus, vel Deputatus ab eo condant testamentum, si mortui ab intestato fuerint, minimē sepeliuntur, vt refert Genuen. in praxi Cur. Archiep. c. 78. vbi dicit aliquos credere huiusmodi consuetudinem à Gallis habuisse originem antequam à Regno expellerentur quandoquidem ab antiquissimo tempore, apud eos talis consuetudo viguit, habetur in tract. Bertrand. Cardinalis altercationum iurisdictionum in articulo laicorum 64. & in responsione Prælatorum, qui tractatus reperitur in fine tractatus de regalib. Regni Franciæ, & quidem talis consuetudo est rationabilis, fundatur enim in refrigerio animarum exstentium in Purgatorio in restitutione forsan male, ablatorum, & in præsumpta morte testatoris; qui si casum inopinatæ mortis præuidisset aliquid pro sua anima iuxta omnium generalem consuetudinem reliquisset, etiam si extarent hæredes, orig. gl. in l. tale pactum ff. de pactis. Cum itaq; sit rationalis seruanda est, c. fin. de consuetud. cum similibus. Tanto fortius, quia illa tendit ad fauorem animæ, cui semper, & vbi que fauere debemus, maximopere, & pro ea fauorabilem interpretationem capere Mainald. decis. 51. li. 3. quem refert & sequitur Nouarius in suo tract. de priuileg. miserabilium personarum, priuileg. 29. nu. 5.

Ec 3 nam